

DOCUMENTA

1 *Epistola Summi Pontificis ad Illustr. Dominum Crets, occasione Jubilaei aurei professionis directa.*

Dilecto Filio Gummaro Crets, Ordinis Praemonstratensis Abbati Generali Pius PP. XI.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam proxime annus exhibit quinquagesimus ex quo ipse auspicato sollemnia religiosa vota nuncupasti, utro Nos volumus hoc eventum tam faustum participare. Quod quidem his litteris facimus perlibenter. Namque haud Nos latet quam egregia tua sint promerita tum erga veterem istum Ordinem, tum erga ipsam Dei Ecclesiam. Cum enim Averbodiensis Abbas renunciatus esses, non modo sodales tuos religiosae disciplinae exemplo potius quam jussu praeire consuevisti, sed etiam impensam dedisti operam ut cultus Cordis Jesu Sacratissimi piis scriptis longe lateque divulgaretur, et non pauci ex tuis alumnis, qui quotidie magis, Deo favente, succrescunt, ministerium sacrum in Brasilia exercent. Huc accedit quod novam Ordinis domum Antverpiae excitasti, in urbe scilicet ubi Sanctus Norbertus, legifer Pater, eucharisticum illum triumphum reportavit et apostoli nomen cepit. Itaque mirum non est si, haud ita pridem, Generalis Abbas electus, contendere sane pergis ut, operum fervore, optime de re christiana vel in posterum merearis. Valde igitur tibi de faustitate rei gratulamur, Nostra tuorum omnium votis addentes, nominatim ut seros in annos te Deus sospitet et eximiam tuam sollertiam suae gratiae rore fecundet. Atque caelestium praenuntia munerum et benevolentiae Nostrae testis Apostolica sit Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili, omnibusque tuis sodalibus amanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXV mensis Octobris anno MCMXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

2 *Rescriptum ponens monasterium Vallis S. Catharinae sub jurisdictionem Ord. Praemonstratensis.*

Beatissime Pater,

Priorissa Monasterii Monialium Vallis S. Catharinae, in Oosterhout, Dioc. Bredanen., Ordinis Praemonstratensium, ad Pedes S. V. provoluta, humiliter petit, de consensu Abbatis Generalis, ut dictum monasterium Vallis S. Catharinae, iterum sub jurisdictionem Ordinis reponatur; Ordinarius etiam Bredanen. libenter adnuit, observatis tamen iis conditionibus quae in supplici Libello S. Congregationi de Religiosis exhibito die 25. Junii 1928, enuntiatae fuerant.

Et Deus, etc.

Vigore facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, attentis expositis et omnibus peculiaribus adjunctis, Reverendissimo P. Abbati Generali Praemonstratensium benigne annuit pro gratia qua dictum monasterium Vallis S. Catharinae iterum sub jurisdictionem Ordinis Praemonstratensium, et quidem R. Abbatis de Tongerlo reponatur, servatis ceteris de jure servandis, et sequentibus conditionibus videlicet: a) Sartatecta servantur jura Ordinarii loci; b) Praepositus nominetur ab Abbate de Tongerlo, audito Ordinario Loci, qui illum tanquam Rectorem Ecclesiae confirmabit; c) Idem Praepositus utpote Delegatus Abbatis de Tongerlo suas ab eo recipiet facultates, quas Praelatus regularis ei concedere poterit, alias vero ab Ordinario loci; d) Clausuram ingredi, nisi in casibus a jure praevisis, Praepositus non poterit, nec amplius recipiet professionem Monialium, sed tantummodo oblationem intra Missarum solemnias, ad quem finem corrigatur Cœremoniale. Praepositus administret bona temporalia Monasterii, dependenter a Priorissa et eius Concilio, servatis omnibus de jure servandis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, die 1. Septembris 1928.

C. Card. Laurenti.
Praefectus.

Vinc. La Puma
Sacr.